





15

APHORISMI 1782, 23  
IVRIS CRIMINALIS

QVOS

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

PRAESIDE

IOS. LVD. ERN. PÜTTMANN

I. V. D. INST. PROFESSOR. ORDINAR. NEC NON COLLEG.

ICTOR. ASSESSORE

7453,

A. D. XXVII. SEPTEMBR. MDCCLXXXII

H. L. Q. C.

DEFENDET


HENRICVS FRIDERICVS GÜNTHERVS  
MICHAELIS

DRESDENSIS

---

LIPSIÆ

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.



ALPHABET

IVRIS TERMINALIS

RECTORII ORDINIS AVCTORITATE

IOSEPHO ERN. P. T. MANN

PROFESSOR ORDINIS THEOLOGICI

M. D. CC. XXV. SEPTEMBER. MDCCXXV.

HENRICH FRIDERICH GÄNTHERUS

MICHAELIS

EX OFFICINA



APHORISMI  
IVRIS CRIMINALIS

I.

**L**eges criminales (aeque ac civiles), quantum fieri potest, ita scribendae sunt, ut iudicantibus sola legum verba sufficiant, et inuestigatione rationis earum non opus sit. Nae enim omnia incerta sunt, si iudici in rationem legis inquirere et subinde dicere licet: Lex huc non quadrat — Cessante ratione cessat lex; quod bene iam monuit BECCARIA §. 4. nec non AUCTOR *des Geistes d. Criminalgesetze* p. 112. — Sed nec ita scribendae sunt leges, ut ipsae effugio locum faciant. Vin' exemplum? Lex ita scripta erat: *Qui falsam monetam cuderit, morte multator.* Reus aliquis fit criminis falsae monetae, sed nummos non cudisse, verum fudisse deprehenditur. Quid? Tunc illum ultimo supplicio dignum iudicabis? Ego nequaquam. Cur enim ita lex scripta est? Cur non generalius loquitur? <sup>a)</sup> — En aliud? Titius falsum cambium concinnaturus, ne in legem contra falsarios, *suis manibus* falsas litteras scribentes, sancitam incideret, dextra mortuo, quem debitorem suum fuisse fingit, amputata cambium subscribit. Re detecta hanc causam extra legem positam esse apparet, propterea quod lex dixerat: *Qui SVA MANU falsum testamentum, cambium falsum scripserit*, rel. et reus poenam lege sancitam effugit. En quantum intersit, leges ita scribi, ut cavillationibus haud subiaceant!

a) Vid. *Plan de législation sur les marières criminelles* (à Amsterd. 1779.) p. LXXVII.

II.

Animus quidem delinquendi *indirectus* plerisque eadem poena, quae *directum* expectat, dignus esse videtur. Involuntarium, inquit, ex voluntario ortum habens moraliter pro



voluntario habetur. GROTIUS de *I. B. et P. II. 17. 18. Leyser Sp. 603. Med. 4.* et alii. Neque negare possum, me ipsum quondam huic sententiae album quodammodo calculum adiecisse. Sed melius sapere nuper me docuit AVCTOR d. *Entwurfs z. einem neuen peinl. Gesetzbuch für die teutsche Nation, Fasc. I. §. 18. sq.* Et nonne ea in re nobis iam praeiuit HADRIANVS Imp. teste MARCIANO in *l. 1. §. 3. D. ad L. Corn. de sic. D. Hadrianus rescripsit, eum, qui hominem occidit, si non occidendi animo hoc admisit, absolui posse, et qui hominem non occidit, sed vulneravit, ut occidat, pro homicida damnandum: et ex re constituendum hoc: nam si gladium strixerit et in eo percusserit, indubitate occidendi animo id eum admisisse; sed si clavi percussit, aut cucuma in rixa, quamvis ferro percusserit, tamen non occidendi animo, leniendam poenam eius, qui in rixa, causa magis, quam voluntate, homicidium admisit, itemque Carolus V. in *Art. 137. C. C. fanciens, Dafs ein fürsetzlicher mutwilliger Mörder mit dem Rade, und ein ander, der einen Todtschlag aus Fäheit und Zorn gethan, und sonst auch gemeldte Entschuldigung nicht hat, mit dem Schwerd vom Leben zum Todt gestraft werden soll.* Sane, qui non occidendi, sed vulnerandi animo aliquem inuadit, eumque occidit, grauius quidem peccat, et procul dubio poenam feueriorem meretur, neque tamen eodem modo puniendus est, quo is, qui animo deliberato in alterius necem sese armauit, nullique pepercit operae, modo iram in alterum conceptam expleat. Equidem magnopere fallor, aut hic etiam locum inuenit illud OVIDII *Heroid. Ep. II. v. 87.**

— — Careat successibus opto,

Quisquis ab euentu facta notanda putat.

### III.

Poenis capitalibus, vtpote non modo iustis, sed etiam necessariis, quidquid cum aliis dixerit H. P. STURZIVS<sup>a)</sup>, nequaquam plane carere possumus, VI recte post VERGANVM<sup>b)</sup> aliosque

que nuper ostendit AVCTOR d. Entwurfs z. einem neuen peinl. Gesetzbuch, Fasc. I. S. 42. sq. Equidem scio, multis hodie poenis capitalibus carcerem perpetuum, quippe quo non modo idem obtineri finis, sed multorum etiam hominum vita servari possit, substituendum videri; nec desunt sane probabilia, quae alicui, ut in hanc sententiam concedat, persuadere queant, argumenta. Ita sane negari nequit, nonnullos ultimum supplicium lubenter carceri praeferre perpetuo, et non mortem, sed dilationem mortis deprecari. Ipse quondam PLATO, carceri mortem anteponebat, nescire se dicebat, an mors sit malum, bene contra se scire, carcerem malum esse. TIBERIUS reo ex vinculis, ut supplicium sibi maturaret, roganti, nondum se ei reconciliatum esse, respondebat. SOPHOCLES in *Antigona* v. 469.

Ὅστις γὰρ ἐν πολλοῖσιν, ὡς ἐγὼ, κακοῖς

ἔη, πῶς ἂν ἔχῃ κατθανὼν κέρδος Φέγει;

Nam si quis in luctu atque miseriis, vii ego,

Vivit, quid, ille mortem haud lucro deputet?

et SENECA Trag. in *Theb.* v. 100. Occidere est vetare cupientem mori, idemque in *Troad.* v. 327. Mortem misericors saepe pro vita dabit. Nec aliter PALAESTRA apud PLAUTVM in *Rud.* III. 3.

Nunc sese ut ferunt res fortunaequae nostrae,

Par est moriri; neque est melius morte, in malis

Rebus, miseris.

Sed haec omnia rem nequaquam conficiunt. Non enim iam quaerimus, quid nonnulli sentiant ambitiosi, aut atra bile laborantes morisque cupientes, sed quid maxima hominum sentiat pars, de qua sane verissime affirmari potest, quod IOBVS II. 4. ait: *Quid quid habet homo, dat pro sua vita.* Hanc optant viri atque mulieres, pauper et dives, senex aequae ac iuuenis, doctus atque indoctus, et vel ipse philosophus, quantumvis diserte de contemptu mortis disserens, idque

Omnibus in terris, quae sunt a Galibus usque  
Auroram et Gangem,

neque adeo quidquam est, quod homines facinorosos aequè aut magis, ac metus mortis, a patrandis sceleribus retineat. Taceo iam, si, ut nonnulli putant, carcer perpetuus seuerior poena sit ultimo supplicio, non clementiam, sed sicutiam esse, huius loco illum reo irrogare. Nulla sane crudelior sententia ea, quae est, cum parcere videtur, asperior, verissimeque LACTANTIVS *Inst. V. II. Illud pessimum genus est, cui clementiae species falsa blanditur.* Quae cum ita sint, non modo conducit, verum etiam necesse est, poenas capitales (sed non nisi in grauissimis delictis) retineri, porroque vnus poenam metum esse multorum, ut eleganter IMPERATOR in *l. I. C. ad Leg. Iul. repetund.*

a) Vid. H. P. STURZII *Betracht. über Linguets Vertheidigung der Todesstrafen*, in eiusd. *Schriften P. I. p. 232.*

b) *Della poena di morte, Mediolan. 1777.*

## IV.

Equidem scio plerisque gladii poenam mitiorem ea, quae securi infligitur, videri, eoque non modo *l. g. §. I. D. de poen.* sed etiam, quod apud SPARTIANVM in *Ant. Caracalla Cap. 4.* legimus: *Deinde in conspectu eius Papinianus securi percussus est, et a militibus occisus: quo facto percussori dixit: gladio te exsequi oportuit meum iussum, pertinere.* Neque me praeterit, nuper adhuc *Cel. I. C. QVISTORPVM in d. Ausführl. Entwurf z. einem Gesetzbuch in peinl. u. Straf-Sachen P. I. p. 61.* et securim et gladium retinendam censuisse. Sed satius iam cum AVCTORE *d. Entwurfs zu einem neuen peinl. Gesetzbuch, Fasc. I. p. 53.* existimo, reiecto, quo reis, carnifice male feriente, haud raro maximi infliguntur cruciatus, gladio securim, utpote minus lubricam atque fallacem, substituendam esse, qua quidem in re dudum etiam Angli nobis praeiuerunt.

## V.

Male olim AVGVSTVS manifesti parricidii reum, ne culeo insueretur, quod non nisi confessi hac poena afficiebantur, ita fertur interrogasse: *Certe patrem tuum non occidisti?* SVETONIUS in *Augu-*



*Augusto cap. 33. Quid enim quaeso suggestio est, si hoc non est? Neque omnino recte se habet, quod ait SVETONIUS: Dixit Augustus ius non diligentia modo summa, sed et lenitate, si verum est, quod scribit DION Lib. 55. Praesente aliquando Maecenate Augustus pro tribunali sedens cum multos esset morte damnaturus, praecidens hoc fore Maecenas, cum per circumstantium coronam ad ipsum irumpere ac proxime assistere nequiret, haec verba in tabella scripsit: SVRGE VERO TANDEM CARNIFEX, eamque, quasi aliud quid indicantem, in sinum Augusti proiecit, qua lecta is statim nemine morte multato surrexit.*

## VI.

Haud satis sapienter sapientissimus nuper Pontifex CLEMENS XIV. postquam duo reos ad mortem damnatos, ut vni vitam feruaret, forte vti iusserat, alterum etiam, cui male fors cesserat, absoluit, eo obtentu, quod omnes ludos, in quibus subesset alea, prohibuisset<sup>a)</sup>. Nae hoc magis est abuti ingenio, quam perpenso iudicio, quod iustum et aequum est, statueret.

a) Vid. *La vie du Pape Clement XIV. par M. Caraccioli p. 64.*

## VII.

*L. 5. C. ad L. Iul. Mai. an per l. 22. C. de poen. rursus fuerit subblata, ambigunt interpretes. Cum BUDAEO aliisque affirmat B. H. REINOLDVS in Opusc. p. 586. Rectius autem negat ANT. SCHVLTING. in Enarr. Part. I. Dig. p. 366. itemque IO. A BEVKER de Crim. Mai. in OELRICH Th. Nou. Vol. II. Tom. I. p. 182. sq. ideo scilicet, quod ius speciale d. l. 5. in l. 22. C. de poen. haud diferte fuit comprehensum.*

## VIII.

Vulgo quidem temeratores monetae non modo falsum admittere, sed simul etiam in crimen laesae maiestatis incidere censentur, propterea quod iura Principis inuadant, sibi que arrogant, quod sine illius permissu priuato haud licet. Sed non nullius sane momenti est, quod monuit MONTESCYSIVS de ingen. leg. Lib.

XII.

XII. cap. 8. his verbis: *Vne loi (l. 9. C. Th. d. fals. monet.) declare les faux-monnaieurs coupables du crime de lese-maesté. Mais n'etoit-ce pas confondre les idées des choses? Porter sur un autre crime le nom de lese-maesté, n'est-ce pas diminuer l'horreur du crime de lese-maesté? Conf. etiam AVCTOR libr. Geist d. Criminalgesetze cap. 19.*

## IX.

*Peccatores in legibus dicuntur, qui in Leg. Iul. de adult. inciderunt. Poenam, inquit, IUSTINIANVS in §. 4. l. de publ. iud. eadem lex irrogat peccatoribus, si honesti sunt, publicationem partis dimidia bonorum, si humiles, corporis coercionem cum relegatione. Eodem sensu s. LVCAS vertit verbo ἀμαρτωλός Cap. 7. v. 37. Καὶ ἰδοὺ, γυνὴ ἐν τῇ πόλει, ἥτις ἦν ἀμαρτωλός, quod recte vertit CASTELLIO: Tum mulier quaedam in vrbe, eaque impudica, minus contra accurate CHRIST. SCHOETTGEN (in Lex. graec. lat. in N. T. b. v.) quae peccatis atrocibus operam dederat.*

## X.

Nescio fane, cur mitissimo hoc erga delicta venerea seculo in vsum haud deducatur l. 17. §. 6. D. ad L. Iul. de adult. ex qua mulieribus adulteris hoc competit priuilegium, vt adulter prius corripiendus, et, si hic innocentiam suam vel testibus, vel iureiurando, vel alia ratione probauerit, mulier simpliciter absoluenda sit. En verba VLPiani: *Exspectabit mulier sententiam de adultero latam. Si absolutus fuerit, mulier per eum vincet, nec ultra accusari potest; si condemnatus fuerit, mulier non est condemnata, sed aget causam suam.* Plura ea de re dixit LEYSER in *Med. Sp.* 633.


W 78

ULB Halle  
005 361 494

3







7453

1782, 23

APHORISMI  
IVRIS CRIMINALIS

Q V O S

ILLVSTRIS ICTORVM ORDINIS AVCTORITATE

P R A E S I D E

IOS. LVD. ERN. PÜTTMANNŌ

I. V. D. INST. PROFESSOR. ORDINAR. NEC NON COLLEG.  
ICTOR. ASSESSORE

A. D. XXVII. SEPTEMBR. MDCCLXXXII

H. L. Q. C.

D E F E N D E T

HENRICVS FRIDERICVS GÜNTHERVS  
MICHAELIS

D R E S D E N S I S

L I P S I A E

EX OFFICINA KLAVBARTHIA.

